

gere debeo, cum tot beneficijs me tibi deuinxeris. Exponit deinde beneficia à Deo accepta: ac primum vnicò verbo, tum pluribus nominibus, postremò rerum gestarum enarratione. Vnicò verbo exponit, cum dicit, Fortitudo mea, id est, causa totius roboris mei, quo de hostibus omnibus triūphauit. Quod autem vno verbo dixit, Fortitudo mea, explicat per partes, dicens, Firmamentum, refugium, & liberator. Quasi dicat, meritò dixi, Deum esse robur meum, quia ipse est firmamentum, refugium, & liberator meus. Cum in tuto sum, ipse mihi est firmamentum, cum in periculo versor, ipse mihi refugium præbet, cum fortè in manus hostium incido, ipse me liberat. Itaque omnibus modis ipse mihi fortitudo & robur est. In Hebræo pro voce, diligam, non est verbum, ahab, quod simpliciter amare significat, sed racham, quod significat amare ex intus visceribus. Pro vocabulo, Firmamentum, est, Petra, id est, stabile ac solidum fundamentum. Pro, refugium, est, arx, siue munitio, siue munitissima arx, ad quam tuto quis confugere possit. Sed Septuaginta Interpretes metaphoras exponere voluerunt, ideo non petram, & arcem, sed firmamentum, & refugium dixerunt. In 2. lib. Reg. cap. 22. deest illud principium, Diligam te Domine fortitudo mea. Incipit enim Psalmus, Dominus petra mea, &c. Sed pulcherrimum illud principium videtur non ab alio, quam ab ipso Dauide fuisse additum.

אבן
אבן

- II. Deus meus, adiutor meus, & sperabo in eo.
III. Protector meus, & cornu salutis meæ, & susceptor meus.

In his duobus versiculis, qui in Hebræo continuantur cum primo versiculo, ex vehementia affectus in Deum repetit Propheta, & inculcat epitheta benefactoris sui. Respondent autem tria hæc, Adiutor, protector, & cornu salutis, tribus illis, Firmamentum, refugium, & liberator. In Hebræo pro voce, adiutor, habetur petra, sicut pro voce Firmamentum, erat etiam petra, sed alia, & alia voce. Itaque vocat Deum adiutorem, quia præbet sta-

bilimentum, vt non cadat iuxta illud, Statuit supra petram pedes meos. Et meritò adiungit, Sperabo in eo, tanquam in firmissimo fundamento. Pro voce, Protector habetur in Hebræo, scutum, siue clypeus, sicut pro voce refugium, erat arx. Vtrunque enim protegit, & defendit. Itaque voluerunt Septuaginta Interpretes explicare metaphoras nominum Hebræicorum. Cornu salutis est tam in Hebræo, quàm in Græco, & significat robur ad saluandum. Metaphora sumpta ab animantibus cornigeris, familiaris est Scripturæ diuinæ. Psal. 131. Producam cornu Dauid, id est, faciam, vt Dauid robustus sit, ac potens instar Tauri cornibus armati, non imbecillis, ac debilis more vituli nondum cornua producentis. Ezech. 29. In illa die pullulabit cornu domui Israel. Mich. 4. Ponam cornu tuum ferreum. Luc. 1. Erexit nobis cornu salutis in domo Dauid. Dicitur igitur Deus cornu salutis Dauidi, & omnibus iustis, quia iusti robustissimi sunt contra omnes hostes; sed robur eorum non in viribus proprijs, sed in Dei adiutorio, & fauore consistit. Omnia possum, dicebat Apostolus, in eo qui me confortat. Respondet autem cornu salutis meæ, particulæ illi, & liberator meus. Liberat enim Deus per cornu salutis, id est, per salutiferam potentiam suam. Denique illud, & susceptor meus, est nomen complectens omnia alia, & respondet primo illi nomini, Fortitudo mea. Quos enim Deus suscipit, liberat, protegit, confirmat.

Laudans inuocabo Dominum, & ab inimicis meis saluus ero.

Est hæc quasi conclusio quædam superiorum verborum: quasi dicat, Ego deinceps assidue Deum laudabo pro tot acceptis beneficijs, & magna fiducia in tribulationibus meis, eundem Deum inuocabo, & sine dubio à quibuscunq; hostibus liberabor. In Hebræo habetur, Mehullal, quod rectè S. Hierony. vertit, Laudatum inuocabo Dominum. Sed si puncta mutantur, eadem literæ faciunt, Mehallel, quod significat, laudans inuocabo, vt verterunt Septuaginta. Sententia semper est eadem, nimirum laudabo, & inuocabo. gratias agam pro præteritis, & inuocabo pro futuris.

להלה
להלה

Circum-